Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

xpo deuotarum manuum hinc inde firmentur ouium quo bis quini lucteres operum nigrorum abluentes hostis parent quo innumere deniq: uasorum electionis milia ad montem templi deferentur. soluitur argillosa terrae quae in campestri regione diutius haec occulta tegebat. hoc est inminente praeconio dominicae passionis per quam ecclesiae dudum litterę uelamento recondit; Sacramenta patescere & labat paulatim & destrui iam incipit illa caelestium occultatrix umbra secretorum. Unde recte post ablutionem uiduae pauperis id est ecclesiae fidem domini ore laudatam. euangelista sequitur adiunxit LXXXV

L ccxlviii II T ccxlii R cxxxvii

Et quibusdam dicentibus de templo quod lapidibus bonis & donis exornatum esset dixit. haec quae uidetis uenient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

Erat namque prius hierusalem urbs illa magna regalis ubi templum formosissimum deo fuerat extructum. postea uero quam uenit ille qui erat uerum templum dei & caelestis hierusalem coepit aperire mysteria dei locata est illa terrena ubi caelestis apparuit. & in templo illo non remansit lapis super lapidem. erat prius pontifex sanguine taurorum & hircorum purificans populum sed ex quo uenit uerus pontifex qui sanguine suo purificaret credentes numquam est ille pontifex prior nec ullus ei relictum est locus altare fuit prius & sacrificia celebrantur. Sed ut uenit uerus agnus qui se ipsum obtulit hostiam deo cuncta illa uel ut pro tempore posita cessauerunt. propterea sane diuina dispensatio procurauit ut & ciuitas ipsa & templum & omnia illa pariter subuerterentur ne qui forte adhuc paruulus & lactans in fide si uiderit illa constare dum sacrificiorum ritum dum ministeriorum ordinem adtonitus stupet. Ipso diuersarum formarum raperetur intuitu. Sed prouidens deus infirmitati nostrae & uolens multiplicari ecclesiam suam omnia illa subuerti fecit & penitus auferri ut sine ulla cunctatione illis cessantibus haec esse uera pro quibus in illis typus praecesserit crederemus.

L ccxlviii II T ccxlii R cxxxviii

Interrogauerunt autem illum dicentes. praeceptor quando haec erunt & quod signum cum fieri incipient.

Quia laudantibus quibusdam aedificationes templi dominus palam responderat omnia fore destruenda discipuli secreto sedente eo super montem oliueti sicut mattheus marcusque testantur. Tempus & signa praedictae destructionis interrogant.

Qui dixit. uidete ne seducamini multi enim uenient in nomine meo dicentes quia ego sum & tempus adpropinquauit. Nolite ergo ire post illos.

Multi inminente hierosolymorum excidio principes extitere qui se esse christos tempusque libertatis iam iamque adpropinquare referrent. Multa